fiſtuloſo, ſupra illarum dorſum decurrente in alias tenues novenas ſtrias efformantur, & loco ſtrigium eſſe videntur: & Conchæ margo extrema Roſtrata efficitur ſingulis novenis ſtriis, quæ internâ parte cavæ apparent.



§. 2. Conchæ Cervix magna eſt, & craſſa, ut clauſa Teſta ſe tangat cum alterius valvæ cervice, mediumque locum occupat conchæ, quæ circà illas in latus ampla fit obliquè, ut diametrum æquet, habeatque ternas connexiones pyxidatas; quarum minima, quæ proximior majori limbo, ſive roſtro eſt, media major, tertia longior: In imâ omnium ſtrige, rugoſa obliquè Lineis apparet concha.